

tum Visitationis ejusdem Deiparæ fuisse excussum occupantium jugum ab Urbe, et aliquot post dies civilem Apostolicæ Sedis principatum fuisse restitutum opibus, consilio, et armis inclytarum Nationum, et Principum, accito Rmo. Cardinali Aloisio Lambruschini Episcopo Portuensi, Sanctæ Rufinæ, et Centumcellarum, Sacrorum Rituum Congregationi Præfecto, Decessores suos S. Pium V. et Sa. Me.

Pium VII æmulatus, mentem suam esse significavit, ut ad grati animi reddendum perenne testimonium gloriosissimæ Virgini quæ insperato sibi, et fideli populo christiano in adiutorium venit, hoc ipsum Visitationis Festum ducatur in posterum per Universum Orbem, ritu duplici secundæ classis: Atque hoc Decretum in Acta Sacrorum Rituum Congregationis reponi, ac publici juris fieri mandavit, pridie calendæ junii anno 1850.

L. S. A Card. LAMBRUSCHINI EP. *Portuensis, etc.*,
S. R. C. *Præfectus.*

DECRETUM PRO GRATIA CONFIRMATIONIS TITULI DOCTORIS IN HONOREM S. HILARII EPISCOPI, ET ELEVATIONIS EJUSDEM FESTI
AD RITUM Duplicis MINORIS.

Quod potissimum in votis erat fidelibus non minus quam universo Galliarum Clero, ac præcipue Aquitanix Provinciæ, ut summo nimirum illorum Patri Sancto Hilario Pictavorum Episcopo debitus honor, sicuti et ceteris ejusdem meriti ac dignitatis, demum decerneretur ab hac Sancta Apostolica Sede, quo laude ac titulo Doctoris, sicuti apud quasdam peculiare Ecclesias jamdudum gaudet, in universa Ecclesia coli queat cum officio et missa ritu duplici; illud ipsum statuendum humiliter postularunt Patres novissimæ Synodi Burdigalensis eo modo, quo non multis abhinc annis Summi Pontifices de S. Petro Chrysologo, Petro Damiano Episcopis, ac Bernardo Abbate præclarè statuerunt. Sanctus nempè Hilarius inter mundi procellas magnus fuit Ecclesiæ sustentator, occidentalis tuba contra Arianos,